



17
21

DISPUTATIO THEOLOGICA
D E
CLAMORE
SANGVINIS
HABELIS & CHRISTI,

AD
Hebr. 12. vers. 24.

Quam
SUB AUSPICIO
DIVINI NUMINIS,
& PRÆSIDIO

*Viri admodum Reverendi, Amplissimi
atque Excellentissimi,*

DN. BALTHASARIS BEBELII,

**SS. Th. D. & Prof. P. longe Celeberrimi, Ecclesiastæ
Summi Templi, & Collegii Wilhelmitani Inspectoris
gravissimi,**

Publico Examini subjicit

JOHANNES SIGISMUNDUS BREIT,

Argentoratensis.

Ad diem Novembris.

**ARGENTORATI,
DENUO RECUSA, M DCC XXI.**

(4.)

бъдатъ съвѣтъ
гражданскъ

СВЯТОЕ ПИСАНИЕ БИБЛЕЙСКАЯ КНИГА ДВОЙНОГО ЗНАЧЕНИЯ

John James Audubon

THE SUNDAY SCHOOL

THE END OF THE DAY

1

* (1) *



In
N. D. N. J. C.
DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
CLAMORE
SANGVINIS HABELIS
ET CHRISTI.

Ad
Hebr. c. 12. vers 24.



Exde rubet tellus & crudis stragibus horret ; flumina mortuorum cadaveribus scatent, liquore sanguinis crescunt, cruento rubescunt, tota mundi mappa sanguinibus quasi ebria est, cædibus humanis totus pollutus est orbis. Quot enim a tyrannis & persecutoribus martyrum cohortes, Confessorum legiones atque Christianorum myriades undique maciatæ sunt, quam innumerabilis hominum multitudo aperto Marte in præliis in-

A de

de usque ab origine mundi crudeliter confossa jacet? Quot in seditionibus, per insidias, ex ira, vel a latronibus, vel a falsis fratribus, & ab ipsis quasi amicis nobis charissimis, misere occubuerunt, conf. Exod. 1. 22. Hiob. 24. 12. Psalm. 79. 1. seqq. De cæde Abelis omnium prima, & ab ipso commissa fratre, non ineptum erit in præliminio aliquid dixisse, cum plurimum faciat ad scopum intentum. Hujus memorabilis extat Historia Genes. IV. vers. 3. seqq. consignata. In qua, ne confuse procedamus, boni ordinis gratia notanda nobis sunt (1) Antecedentia cædis. Obtulerant fratres, Cain primogenitus Protoplasmorum filius, & secundo genitus Abel, uterque suum sacrificium: iste, utpote agricola, de frugibus agri; Hic vero, quippe pastor, de primitijs gregis. Sed displacevit istius sacrificium DEO, quia non erat ex fide offerentis profectum. Hujus vero placuit, ita ut, igne cœlitus missio, oblatum accenderit; idque per fidem Abelis, qua Messiam futurum apprehendebat, & sibi peccatori applicabat. Hebr. XI. 4. Indigne judicium talit Cain, qui sibi præ fratre videbatur gravior apud DEUM, utpote primogenitus, & patris in varia dignitate successor, virtutibus quoque & speciosis bonis operibus præstantior; Quare tantum erga fratrem odium concepit, ut ne quidem dissimilare potuerit, vultu animum prodente. Animadvertisit illico DEUS malignum affectum, quare per Adamum Ecclesiæ suæ ministrum reprehendit infestum hominem, & ad pœnitentiam revocare studuit, sed irrito conatus. Etiam si enim iram & furorem præ se non amplius ferrer, amice loquens hypocrita cum fratre, mente tamen ulcus fovet, exspectans commodam vindictæ exercendæ occasionem. (2.) Concomitantia, Occasionem habuit ruri, cum uterque fratrum in eo versarentur. Ibi enim locorum Cain adversus incautum, & nihil metuentem fratrem insurrexit, eumque manu, an lapide? vel telo? non liquet, interfecit. (3) Consequentia. Cæde patrata dicitur cadaver terra obruisse, vel in aquas abiecisse. Joseph. I. I, antiq. c. 4. ne quis occisum reperiret,

periret, ipse autem scelus suum occultaret. Latebat nefarium fa-
ctum homines quidem, minime autem Deum, qui occulta intue-
tur: Nam ad rationem, de fraticidio reddendam, temerarium
caput revocabat. Audacius ille initio negabat se scire, ubi
frater esset, aut teneri ad ipsius custodiam: ceterum aliter lo-
qui coepit, postquam DEUS fraticidium auctori coram ex-
probravit, dicens :

kol רמי אחריך צעקים אלו מן הארכמן
 Vox sanguinum fratris tui clamantium ad me ex terra: & jam
 maledictus tu sis, a terra; & seqq. Hac voce audita totus
 in desperationem ruit infelix fraticida, nec invenit locum,
 ubi conscientia fugitiva ruto consisteret. Ad hanc historiam
 digitum intendit locus in Epistola ad Hebr. c. XII. v. 24, quan-
 do comparatio instituitur inter sanguinem Christi & sanguinem
 Habelis, & inter clamorem istius & hujus sanguinis, docens,
 accessisse nos in N. Test. Christianos Novi Testamenti Media-
 tori Jesu & sanguini aspersioris, κείτονα λαλῶντι παρὰ τὸ
 ἄβελ: meliora loquenti, quam (Sangvis) Abel. Atque hoc
 thema nostrum esto, de quo differere quedam animus est.
 DEUS, qui per clamorem sanguinis, a Filio pro nobis fusi, ex-
 orari sese, & reconciliari passus est, quo minus clamor pecca-
 torum nostrorum in exitium nobis cederet, Spiritus Sancti gra-
 tia meditationi nostrae clementer adspiret!

§. I.

Cum itaque nobis constitutum sit, de clamore san-
 gvinis Abel ex proposito loco agere, ante omnia
 occurrit consideranda λέξις terminorum. Tres au-
 tem voces occurrunt, (1) Abel. Fuit hic secundoge-
 nitus Adami & Evæ filius; Quamvis nonnulli sint,
 qui somniant, Adamum, præter tres istos in sacris bibliis no-
 minatos filios, triginta alios cum totidem filiabus habuisse,
 cumque Caino genitam simul esse sororem gemellam, nomine
 Calmanam, anno 15. ætatis Adami, in agro Damasco: Cum
 Abele autem binas natas esse sorores, quarum una Delbora

A 2 -

vocata

vocata sit, eorundem aliquando futuras uxores, anno aetatis
 Adami trigesimo &c. Sed somniant haec. Fuerintne Cain
 & Abel gemelli? certo sciri non potest: quibusdam verosi-
 mile est, fuisse gemellos. Utut autem hoc esset, tamen illud
 certum est, Abelem post Cainum demum natum esse. Hic
 Abel nomen accepit a luctu juxta Joseph. I. i. antiq. c. 3. Eu-
 seb. I. ii. præp. Evang. c. 4. & alios, quos inter & Augustinus,
 inquiens: a Cain & Abel, de una matre geniti, ligna sunt seu
 "typi omnium hominum, qui de radice peccati in hanc vi-
 "tam propagantur, & alii terrenam civitatem & mortiferas
 "delicias sunt amsturi, quos significat Cain, qui interpretatur
 "possessio. Alii futuram civitatem quærentes, de hujus habi-
 "tationis miseriis lugent, quos designat Abel, qui interpreta-
 "tor luctus. Sed male a luctu derivatur, scribitur enim **הבל**
 per נ, non **אבל** per נ, quorum istud vanitatem, hoc luctum
 denotat. Unde Graece scriptum **Ἄβελ** per spiritum asperum
 proprius accedit ad fontes Hebreos, quam **Ἀβελ** per spiritum
 Ienem, quo tam modo transtulerunt LXX. Cur a vanitate
 nomen filio dederint parentes, varie iterum nonnulli sentiunt.
Quidam ob exiguum corporis staturam, alii ob vitæ genus
 sive curam pastoritiam, quod vile studium & abjectum statum
 esse parentes judicarunt, cui rei filium præponere, jam ab ini-
 tio aetatis suæ parentibus animos erat. Sed potius credendum,
 illum ideo sic dictum, quod jam tum parentes videbant, in
 statu lapsus, omnia hominis esse vana, & interitui obnoxia.
 Postquam adolevit, curam pastoritiam sibi elegit, & pecudum
 gregibus præfuit, a quibus, ut erat natura humilis & patiens,
 eo pluris patientiae ac humilitatis studium colere didicit, bo-
 nisque omnibus studuit virtutibus, utpote vera fide in Messi-
 am præditus. Quare ab ipso Christo illustri cognomento Ja-
 sti insignitur Matth. 22. v. 35. nimirum justitia partim impu-
 tata Rom. 4. 5. seqq. Hebr. XI. 4. seqq. partim *inhæsiva*, quæ
 erat vel *Personæ*: bonis enim operibus operam dabat, in ti-
 more DEI certo anni tempore opimas DEO offerebat decimas

&

& gregis sui primicias, DEUM pura mente venerans cum pa-
tre prima Ecclesiæ locavit fundamenta, aras extinxit, vera fide
in Christum sacrificavit, planeque inculpate vixit &c. Vel Cau-
se: nulla enim injuria afficerat fratrem, quamvis sapientis ab illo
convitiis & odiis commoveretur, ut tandem vel vitam adime-
ret. Luc. XI. §I. Gen. IV. 8. seqq.

§. 2. (2) *Sanguis*. Vocem hanc textus noster expressis
literis non habet, dicit enim: παρὰ τὸν Αβελ: ubi varia no-
tetur lectio. Sunt enim codices, qui legunt: παρὰ τὸν Αβελ;
præstat tamen vulgatiorem lectionem παρὰ τὸν Αβελ retinere,
cum Cyrillo, Theophylacto, Oecumenio; Nam proprius acce-
dit ad fontes Hebraeos. Erasmus ad h. l. sic scribit: Potuisset hoc
incommodum vitari, si verteretur, Abelis, at cum Abel possit ac-
cipi ut nomen indeclinabile, ut David, & alia hujusmodi nomi-
na, nullum est incommodum in nostra versione latina, sed in ge-
nitivo accipitur, & plane procedit comparando sanguinem san-
gini, & ostendendo excellentiam sanguinis Christi supra san-
guinem Aboris, ut hac ratione Hebrei Christo essent magis affecti.
In fontibus vox sanguinem clamantium laudatur, perinde ut
h. l. sanguinis Christi clamor: ut adeo comparatio instituatur
inter Christum & Abelem, sanguinem Christi & sanguinem
Aboris, uti jamjam ex verbis Erasmi ostendimus.

§. 3. Cæterum vox sanguis diversimode in sacris literis
accipitur, quod ex Concordantiis & Lexicis Theologicis, Fla-
tii Clave, & Ravanelli Bibliotheca, patet. Quod hunc locum
attinet, proprie accipitur vox ista, secus quam Ravanellus pu-
tat; qui impropriæ, pro cæde, sumi censet. Ita quidem, ut
vox & clamor, non sanguini sanguinisque guttis attribuatur;
Sed quod clamor iste intelligendus sit, quem Abel edidit,
cum a fratre interficeretur, qui cædem ipsam comitatus est,
antequam anima charum suum relinqueret domicilium, qui et-
iam post mortem adhuc sonet in auribus Dei. Verum nulla
nos cogit ratio seu necessitas, cur a textu recedamus. No-
tetur enim cædes, quod non negamus, ea tamen significatio-

non tollit alteram, quæ propria est: *Synecdoche* erit, partis pro toto, sangvine sumpto, pro omnibus illis, qvæ passus est Abel, vulneribus, doloribus, cruore, morte, & similibus, sicut & ipse sangvis Christi connotat universum ambitum passionum & mortis, ut dicta scripturæ abunde testantur Eph. c. 1. 4. Col. 1. 14. 1. Petr. 1. 19. Hebr. 9. 14. 1. Joh. 1. 7. &c.

§. 4. Id non negaverimus, esse h. l. *Prosopopoeiam*, quando sangvini tribuitur vox, loquela, & clamor. Sangvis enim effusus hominis occisi per se vocem non habet, imo nec organum, nec spiritum vocis, quo clamare possit, per hanc autem figuram rhetoramicam multoties apud Autores tam sacros quam profanos res absentes, mutæ atque mortuæ loquentes introducuntur, uti quisque novit. Sed loqui eorum est, propriæ dicendo, qui linguas habent: & clamare illorum, qui stentore a voce aere replent, atque reboare faciunt.

§. 5. Atque hæc est (3.) Vox nempe *clamor*, quod dicitur in Hebræo בַּקְעָה Clamantium, a rad. בִּקְעָה clamare, vociferari: ubi, quid per numerum pluralem indicetur, Autores iterum variant. Cornelius a Lap., Piscator & alii, eo dunt taxat referunt, quod in cæde ejus sangvis copiose effusus, evenis hinc inde erumpens, in varias partes dissilierit, atque ita quilibet rivulus atque guttula sanguinis ad Deum justum malorum vindicem clamaverit. Nec omnino absurde Chaldæus, Rabbini, aliique sentiunt, qui vocem sanguinum clamantium exponunt pluraliter de posteris Habelis, utpote in quo uno nequiter effuso totus oceanus liberorum ac nepotum, qui excitari ex eo poterat, nequius est effusus. B. Dannh. in hom. sacr. Idem in alio loco sic dicit: Humanus sangvis inter Microcosmi κερανήσια referendus est, vitæ thesaurus Creatori suo in oculis, qui si capellos vile excrementum, hujos multo magis guttas in numerato habet: temere effusus clamat ad Cœlum tot oribus, quot e sangvine disperso nepotes sperarentur. Multis autem una vocem emittentibus, oritur clamor, & cum quis concitatis spiritibus & vehementi motu vocem extollit, clamorem edidisse dicimus. Atque sic

Cl-

Clamitat ad Cœlum vox sanguinis, & Sodomorum.

Vox oppressorum, merces detenta laborum.

Nec aliter ad Deum vociferantur gemitus pauperum, afflictorum lachrymæ, fidelium quærelæ atque persecutorum lamentationes. Displacet quidem hæc expositio Cornelio a Lapide **Comm. in Gen. IV. 10.** sed rationis loco reddit, quod in quaestione est, patet enim, ajens, hoc non ad posteros, sed ad sanguinem Abelis, a Cain effusum, pertinere. Quod autem Scriptura hoc loco sanguini vocem tribuit, eamque non tacite mussantem, sed clarissime clamantem, omnibus afflictis insignis consolationis pars & fundamentum est. Alias enim pii plerumque ita comparati sunt, ut, dum affliguntur ab improbis & occiduntur, velut oviculæ cum silentio, non aperientes oras, perferant omnia; verum sanguis illorum, etiam in latibris effusus, latere non potest, quælibet gutta, uti jam dictum est, suum prodit sicarium, & alta voce divinam exposcit nemesis. confer Ambros. de Cain l. 2. c. 9, apud Cornel. a Lap. in Gen..

§. 6. In Græco est vocabulum Λαλεῖν, quod ex antecedentibus repetendum: Dicitur enim Sangvis Jesu Christi meliora loqui, quam sangvis Abel. Ergo & Abelis sangvis loquitur, Ergo & Abel jam defunctus, adhuc loquitur; At mortui omnibus loquendi destituti sunt organis, nec animas separatas a corporibus voces edere corporales, probat Augustinus quæst. Vet. & N. T. q. 68, nihilominus tamen Abel defunctus loquitur (1) Dum occasionem præbet & materiam loquendi. (2) Dum non voce, sed ratione loquitur, vocem spiritualem edendo. (3.) Symbolo & representatione. (4) Nominis sui Etymologia. Licet enim per mortem corporalem defuncti cesset ejus naturalis loquela, non tamen laus aliorum de ipso: imo mors quando est, sancta & justa (qualis fuit Abelis) ex parte sui præbet occasionem de ea recte loquendi. Si quoque Sangvis illius loquebatur, et si non ea, quæ sangvis Jesu Christi; Aliquando bene loquebatur sangvis Habelis, quia justum Dei iudicium

dicium contra sui effusorem & justam vindictam peccatorum licet exigere, cum Deus ipse dixerit: Mihi vindicta, & ego retribuam Hebr. X. 10. Unde etiam Sancti Martyres in Apoc. VI. 10. inducuntur dicentes; Usque quo Domine? non judicas & non vindicas sanguinem nostrum? Melius tamen loquitur sanguis Christi, uti postea dicemus. (5) Loquitur denique modo quodam nobis incognito; vero tamen & reali.

§. 7. In Hebreis fontibus termini clamoris insinuantur. Terminus a quo est **הָאָרֶץ** terra. Ubi phrasis illa, *de terra loqui*, item, *vox de terra*, observanda. Nam alias in scripturis metaphorica locutio est, ut Joh. 3. v. 31. legitur: Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur: ubi de terra loqui est carnaliter sapere. Sed non eodem modo dici posset, sanguinem Abeli de terra loqui, quia non ita vindictam exigebat, sicut terreni homines exigere solent, nempe ex cupiditate nocendi proximo, seu hosti. Sangvis Christi meliora loqui dicitur, quia de cœlo loquitur, unde erat, & ita misericordiam & vitam gratiae postulare etiam inimicis suis. Alter iterum accipitur Esa. 29. 4. ubi *vox de terra* Pythones dicitur, quia Pythones oracula reddebat ex demissa sub terræ spelunca. Nullum autem est dubium, quin ea pars terræ intelligatur, in qua sangvis innoxius effusus est. Locum autem, in quo occisus fuerit Abel, circa Damascum prope Hebron quidam fuisse perhibent, qui postmodum ex eo sic dictus, quod sit **פְּשָׁמֵד** saccus sanguinis; quia bibit & hausit sanguinem Abeli largiter effusum. Nonnulli per vocem **אַרְצָה** terram cultam, per **אַרְנָה** incultam intelligunt, atque exinde probabiliter concludunt, quod Abel obtuncatus fuerit a fratre in agro quodam culto, non in solitudine, aut in sylva, nec etiam in obscura valle sub rupibus montium. Quicquid autem ejus sit, nos neque de situ loci aut ejus certitudine litem movebimus, nec curiosius rem incertam investigabimus. Sufficiat nobis Scriptura, quæ generali vocabulo terræ locum istum describit.

§. 8.

§. 8. Terminus ad quem est Deus, dicit enim sanguinem clamare אֶלְיוֹ ad me: Deus scilicet, qui cum Caino loquebatur. Ab autem Deus Caino apparuerit, & hæc illi proprie atque ore tenus seu immediate dixerit, B. noster Lutherus in Comment. ad h. l. negat, sic scribens: Interrogatus de Abele, ubi sit, respondet, se nescire, ita adjungit ad homicidium etiam mendacium. Satis autem ea responso arguit, bac verba ab ipso Adamo, & non a majestate Divina esse pronunciata: Putabat enim, quod patrem Adamum, tanquam hominem, lateret factum suum, de Divina Majestate id non poruit cogitare, & paulo post: Itaque putat Cain, Patrem quidvis potius suspicaturam, quam quod cædem patrasset. Sed Spiritum Sanctum in Adamo non potuit fallere, itaque in persona Dei aperte eum coarguit, & dicit: quid fecisti, vox &c. Rursus in alio loco, paulo inferius, hauc addit rationem: Ideo autem a Domino dicit Moses esse dicta, quod Adam jam erat justificatus & donatus Spiritu S., quæ igitur secundum verbum Dei & ex Sp. S. dicit, recte Deus dixisse dicitur. Nos quidem non negamus, usitatum esse in scriptura, quod idem tribuatur causæ principali & instrumentalis, & quod interdum conjungi videatur causa principalis ministeriali, & contra: Sæpius enim introducitur Deus loquens, cum tamen verba fuerint aliis vel Prophetæ, vel Angeli. Sic Es. VII. 10. locutus dicitur ipse Deus, cum tamen verba sint Prophetæ loquentis. Neque tamen litera nos cogit, ut ab ea recedamus. Augustino videtur Deus ipse Caino apparuisse, & locutus esse epist. 112. ad Paulinam. Dubium autem non est, quia tota S. Trinitas στιωθῶς accepta, si terminus, ad quem preces tendebant, potissimum tamen Secunda inter personas divinas, ad quam clamor tendebat; Dominus ille est, qui est judex tam vivorum, quam mortuorum, qui est censor rigidissimus in crudeles, & æqvissimus in sui unius Numini devotos. Vocem sanguinis ille audivit, itidem ille intelligitur, qui Sauli persequenti fideles Ecclesiæ acclamabat de tribunalí suo cœlesti: Saul, Saul! quid me persequeris? Act. IX. 4. Is

B

caim

enim est Judex ille, & hoc illius officium, ut clamores, clamitantes & persecutio[n]es fidelium suorum, audiat & requirat, ut pote qui est judex omnis carnis Gen. XVIII. 25..

§. 9. Secundo scopus, ad quem Apostolus collimat, duplex constituendus est: Alius enim est primarius & generalis, alias secundarius & specialis. Primarius, quem Apostolus in epistola ad Hebraeos intendit. Secundarius (quoad hunc locum), quem intendit Spiritus Sanctus in Historia Habelis, a Mose conscripta, & hoc loco allegata. Generalis & primarius scopus Apostoli est, Hebrais commendare præstantiam N. T. præ V. T. cum in finem, ut studium pietatis in ipsis ardenter accendar, ut peccata & vitia fugiant atque deponant, nec non in stadio certaminis constituti, cum patientia currant, nec formident calamitates, pericula, persecutio[n]es, aliasque castigationes subire, sed intrepido perferre animo. Præcedente versu 12. hortatus fuerat, ut manus remissas erigerent, sive animum revocarent suum, alacresque essent ad pugnandum sive certandum. v. 14. ad pacem & sanctimoniam, sine qua nemo Deum visurus esset. v. 15. dehortatus fuerat a contemptu gratiæ divinae & discordia. v. 16. a scortatione & impietate, qualis fuerat Esavi, propterea rejecti. v. 17. Novum deinde argumentum v. 18. Novum deinde argumentum v. 18. subjunxit, quo priora confirmaret, desumptum a præstantia foederis novi, præ veteri, quorum hoc intolerabile fuerit præsentibus: v. 18. 19. 20. 21. Istud vero meliore loco collocatum, utpote non ad montem in Eremo terribilem, tenebras fumentem, atque ignibus, tonitru, tubæque sonitu horribilem, sed in monte Zion, civitate Dei viventis, cœlesti Hierusalem, & congregatiōne millium Angelorum v. 22. Et Ecclesia primogenitorum, quorum nomina in cœlo scripta sint, Deo judge omnium, spiritibus perfectorum iudiciorum.

§. 10. Tandem etiam a Mediatore excellentiam novi foederis ostendit. Cum enim in præcedentibus ipsos ad vitam sanctitatem admonuisset, subjungit jam, qualem nos in N. T. habeamus.

habeamus Mediatorem, quem præ ministro V. T. umbratico extollit, utpote qui non lege terreat, ut Moses, aut qui sanguine aspersionis hircorum & vitulorum populum reconciliet apud Deum, ut Aaron, sed qui sit verissimus & misericordissimus, ὁ μετριωταθέν δυνάμενος, qui pro omnibus peccatoribus totam implevit legem, atque suo proprio, sanctissimo, & divino sanguine homines redemit, atque cum Deo Patre reconciliavit, ut gloriæ cœlestis & gratiæ æternæ fieremus particeps. Medium igitur, quo excellentiam novi fœderis probat, ut dictum, Mediator est, ipsiusque sanguis, quippe qui loquatur, & melius quidem, quam Habelis. Licet enim ille bene locutus esset, cum a summo Justitiae diribitore debitam exigeret vindictam, nihilominus hic, cum pro nobis apud Deum intercedat, & non vindictam, sed misericordiam clamet, melius loquitur, atque sic ex præstantia intercedentis sanguinis clamantis inferre vult Apostolus, in Novo fœdere eminentiorem & efficaciorum, & majorem Dei erga nos gratiam, ut pote pro quibus sanguis iste clamando intercedit: Et ex gratia majorem & arctiorem nostri obligationem esse ad officia præstanda. Haecenus autem ostendit excellentiam Sortis nostræ qvoad locum, ad quem accessimus. vid. Pareus ad h. l.

§. II. Argumentum, quo tanquam medio ad hunc scopum suum collimat & contendit, posset esse tale: Quicunque sunt hæredes Testamenti, a præstantiore Mediatore facti, & meliore sanguine confirmati, quam erat sanguis Habelis clamans, illi multo magis obligati sunt ad sanctimoniam excolendam, & vitia fugienda, quam illi, quorum non tam præstans erat testamentum. Atqui Christiani sunt hæredes Testamenti novi, a præstantiore Mediatore Christo, & sanguine, melius sanguine Habelis clamante, conditi. Ergo multo magis obligati sunt ad sanctimoniam excolendam & vitia fugienda. Conclusio est scopus Paulinus. Major ipsa æquitate nititur. Quo major enim est gratia hæredi collata, & præstantior is, cuius beneficio testamentum conditum est, eo major est obligatio hæredis ad præstanta officia gratitudinis.

§. 12. Minor est hæc: Christiani sunt hæredes Testamenti novi, a præstantiore Mediatore, Christo, & sanguine melius sanguine Habelis clamante, conditi. Quod probatur ex iure filiationis Rom. 8.17. Gal. 4.7. Cum enim essemus filii iræ, sub servitute ac maledictione legis capti, Mediator hic noster N. T. sua intercessione nobis gratiam conciliavit, suoque merito cœlestem nobis gloriam acquisivit. Suo Sangvine, sua passione & morte nos liberavit, & per adoptionem spiritualemque regenerationem nos fecit filios Dei, atque bonorum, sive hæreditatis cœlestis, vitæque æternæ compotes reddidit; Suo sanguine, in atra crucis largissime pro nobis fuso, a cordibus peccatorum nos abluit, & pro nobis satisfecit, atque sic cœlestem nobis reparavit justitiam, donando insuper nobis Spiritum Sanctum, qui in cordibus nostris filialem accendat fiduciam, qua confisi, Deum, sanguine hoc filii sui reconciliatum, Patrem vocamus nostrum. Qui itaque meritum Christi Mediatoris N. T. sibi applicant, per cuius sanguinem a servitute liberi facti, regeniti, atque apud Deum reconciliati sunt, illi vere sunt filii Dei; Si autem filii, utique etiam hæredes, testante Apostolo cit. loc.

§. 13. Testamentum apud LXX. Interpretes dicitur διαθήκην, quam vocem Aquila & Symmachus, observante Hieronymo, reddiderunt per συνθήκην, ut magis conveniret Hebreo בְּרִית a בְּרִיה percussit: Quoniam, ut Testamentum ratum sit, mors testatoris requiratur. Verum quia LXX. Interpretes בְּרִית ubique verterunt διαθήκην, hos secuti Scriptores Novi Instrumenti, ita retinuerunt, ad denotandum fœdus. Sumitur autem vel univoce, vel analogice. Univoce, de suprema sententia voluntatis quoad ea, quæ quis post mortem suam fieri vult. Gal. 3.15. Hebr. 9.16.7. Analogice vero pro sanctione, ordinatione, lege, seu conditione aut promissione rerum vel bonorum, alteri tribuendorum, vel ad quæ præstanda someripsum aliquis obligat. Illo senso sumitur Testamentum Novum, quatenus nimicum est pactio inter Deum & homines, qua-

qua Deus confirmat hominibus, se futurum eis propitium, remissorum peccata, donaturum justitiam novam, Sp. Sanctum & vitam æternam per & propter Filii sui obedientiam, passionem & mortem: Vicissim homines vera fide hoc tantum beneficium accipiant, sibique applicent. Hoc vero sensu sumitur V. T. quatenus est Dispositio Dei, qua felicitatem civilem, spiritualem & æternam promisit iis, qui legi latæ exacte satisfecerint. Dicitur alias foedus primum Jerem. 31. 32. Hebr. 8. 7. 13. & c. 9. v. 1, 15. 8. Item foedus Patrum Malach. 2. 10. Sangvis, quo foedus hoc percussum est, erat sangvis hircorum & vitulorum, aliarumque bestiarum, in sacrificiis oblatus Gen. 15. 9. seqq. & hinc dictus etiam est sangvis foederis Exod. 24. 8. id est sangvis animalium, quæ in sacrificium offerebantur. Stgnum hujus foederis & organum erat circumcisio, Abrahamo & posteris imperata Gen. 17. v. 10. seqq. Rom. 4. 11. ut illa Deus suam confirmaret promissionem, se daturum esse ipsis terram Chanaan in possessionem perpetuam: Gen. 17. 8. & 10. Et semetipsum fore ipsorum Deum, gratia, & felicitate non solum civili, sed etiam æterna.

§. 14. Novum Testamentum alias foedus perpetuum Esa. 61. 8. Jerem. 32. 40. Ezech. 16. 60. seqq. Item Foedus secundum Hebr. 8. 7. quod est reconciliatio novi populi cum Deo, per Christum in carne jam exhibitum, dicitur foedus illud, quod Deus iniit cum hominibus, quocunque tempore & loco viventibus, credentibus, in quo, propter filium suum, benedictionem, justitiam, remissionem peccatorum, vitam denique æternam promisit iis omnibus, qui meritum Christi, pro hominibus præstitum, vera fide apprehenderint, sibique applicaverint. Conveniunt autem inter se foedus novum & foedus vetus (1) ratione causæ Efficientis, quia utriusque Autor Deus. Esa. 54. §. 6. (2) ratione Harmoniæ, quia omnis scriptura unus est liber, utrius testamenti una catena atque unum omnium Prophetarum os. Luc. I. 70. Hebr. 10. 7. (3) ratione scriptioris, dum utrumque in literas divino jussu & dictatu relatum est.

Discrepant tamen, (1) quia fœdus vetus cum suis sacramentis ad unum tantum populum pertinuit, novum ad omnes populos spectat Eph. 2.12. (2) quia illud variis ceremoniis atque sacrificiis Christum nascendum adumbrabat, hoc vero, teste Apostolo Heb. 7.11. Christum jam vere exhibitum clare exhibet, (3) quia illud pecudum sanguine sanctum fuit, hoc vero morte & sanguine Christi, quo ipse mediante meruit gratiam Dei erga nos, justitiam, regenerationem, reconciliationem atque vitam æternam. Organum sunt verbum & Sacra menta, quibus vim meritumque sanguinis Christi nobis applicamus. Hæreditas est vita æterna.

§. 15. Ex dictis elucescit (1) Mediator Novi Fœderis, qui est Christus, non tantum secundum naturam humanam, ut Pontificii volunt, sed etiam secundum divinam naturam: Opportuit enim Mediatorem nostrum esse & Deum verum, ut summae Dei justitiae satisfacere, atque justam Dei iram adversus peccata perferrre posset; & Hominem verum, qui idoneus esset, ut se in sacrificium pro hominibus peccatoribus offerret. Mediator autem is est, qui inter partes adversas & dissidentes sese interponit, ut easdem sibi invicem reconciliet. Gal. 3.20. Pars igitur offensa erat Deus γενικῶς loquendo, sive tota Sacrosancta Trinitas, quæ justissima adversus peccata nostra æstuabat ira: Pars vero offendens erat homo, sive totum genus humanum. Illa vi suæ justitiae in profundissimam æternæ maleditionis nos condemnabat abyssum, unde nobis in omnem omnium æternitatum æternitates nulla speranda fuisset salus & liberatio; confer B. D. Dannh. Hodos. Phæn. XII. p. 1503. nisi benignissimus atque misericordissimus Deus nostram induisset vicem, atque Mediatorem interposuisset, qui Justitiae Dei pro peccatis nostris, & pro poena peccatorum nostrorum, satisfaceret, atque hac ratione Deum nobis pacatum redderet, & remissionem peccatorum nobis impetraret, assumendo carnem, atque offerendo se totum in holocaustum, secundum omnes corporis partes, carnem, animam, sanguinem, lachrymas & aquam,

squam, quæ a professo latere emanavit. Atque hoc modo planata rursus ira Dei cœlestem nobis gratiæ referavit januam, ita ut jam omnibus credentibus, meritumque hujus nostri Mediætoris sibi recte applicantibus, aperta sit & patula. Atque hic unicus novi fœderis Mediætor est, nullos alios aut plures cum Pontificiis agnoscimus, qui contra scripturam in litanis suis insignem Mediætorum suorum farraginem conscribunt & invocant, quos improbamus, & simul crassum ipsorum errorum rejicimus, quando Mediætorem hunc Novi fœderis sua meditatione non nobis tantum, sed & sibi aliquid promeruisse falso adstruunt, quod nimis Christus per humilationem suæ statum exinanitionis sibi corporis gloriam, sessionem ad dextram, & nominis sui exaltationem pepererit. Falsum enim hoc esse, patet (1) quia, quod est gratuitum, non possit esse meritum; At vero Christo omne istud a Patre donatum, gratuitum est, teste epist. ad Phil. 2. 9. Ergo (2) Quia scriptura ubique testatur, Christum non sibi, sed nobis, e cœlis descendisse, hominemque factum esse, passum, mortuum, suscitatum e mortuis, ingressum in cœlum, exaltatum ad dextram Dei &c. vid. Isa. 9. 6. Zach. 9. 9. Matt. 1. 21. & c. 20. 28. Luc. 2. 10. 11. Joh. 3. 16. & c. 17. 19. Rom. 4. 25. & c. 5. 8. & c. 8. 32. 1. Cor. 1. 30. 2. Cor. 8. 9. Gal. 4. 4. Hebr. 6. 20. &c. Ast, tot locis scripturæ contradicere, esset vim illi inferre, quod facere impium est atque temerarium.

§. 16. Vulgo autem distingui solet inter Mediætorem V. & N. T. ille dicitur fuisse Moses Gal. 3. 19. hic vero Christus. Sed nulla cogit necessitas, per Mediætorem allegato loco intelligere Mosen: Hoc certum est, istum proprie dici Mediætorem, qui interventu sui meriti partes adversas inter se componit. Tim. 2. 5. 6. Atqui hic est Christus, solus & unicus Mediætor, tum respectu redēptionis, tum intercessionis, sicut unus est Deus. Ut hac ratione omnes fictiti & falsi Mediætores, Intercessores, Reconciliatores, periculorumque Averruncatores, in totum excludantur.

§. 17.

§. 17. (II) Sangvis Mediatoris. Sangvinec enim & morte
sanciuntur & confirmantur Testamenta Gal. 3. vers. 15. nec sine
morte Testatoris valent, rataque habentur Hebr. 9. v. 16. 17. I-
tem fœdera Hebr. 9. v. 18. 20. seq. Nam antiquitus fœdera ple-
rumque sangvine coisse, historiarum rerumque memorabili-
um connotatores nobis scripto reliquerunt. Vid. Val. Max. I.
19. c. 2. Camerar. part. 1. horat. subc. p. 57. quare & Christi san-
gvine opus erat ad sanciendum & confirmandum fœdus & te-
stamentum novum. Est autem sangvis Mediatoris nostri (1)
Verus, quem ex substantia B. Mariae Virginis in ὑπόσατην su-
am assumxit, ita ut ipsius pars necessaria & organon fuerit. (2)
Purus & proprius, quem ex castissima virgine nullis, peccato-
rum sordibus inquinatum, aut infectum hauit, qui nec labem,
nec putredinem vidit, qui nunquam ab ipso, nec in mortis
quidem triduo, divisus, nec in terra residuus, vel in vasculis,
sindonibus, aliisve thecis mansit: Contra Pontificiorum som-
nia, quibus adstruunt, fictitium suum Longinum sangvinem
Christi in vase reservatum deportasse Mantuam, ubi hodierno
quoque tempore in æde sacra B. Apostoli Andreæ ostentetur.
Prætereo, brevitatis gratia, omnia alia pontificiorum vascula,
thecas & sindonas, quibus sangvinem Christi contineri falso
asserunt, qualia sunt in Cœnobio Weingartensi, apud Vene-
tos, Brugas; Flandriæ, & alibi: Si enim omnis ille sangvis in
unum aliquod vas colligeretur, facile appareret, plus sangvinis
esse in terra, quam vel effusum olim, vel Christus resurgens si-
bimet restituere potuerit, & jam sane vacuus esset ab omni san-
gvine, si omnis, qui ostenditur, ejus verus & proprius san-
gvis esset. Iste sangvis Mediatoris nostri proprius est, qui pro-
totius mundi peccatis largiter effusus, & carni in gloria resur-
rectione restitutus, ορείττοντα loquitur, non is, qui residuus in
sindonibus & vasculis monstratur. Hic ille sangvis Mediat-
oris nostri proprius est, quo Christus Summus Pontifex asper-
sus, introivit S. Sanctorum, quo pro omnibus, etiam in infidel-
itate perseverantibus, & actu damnatis, satisfecit, quo pro no-
bis

bis intercedit, quo pro nobis misericordiam datur: *Volo, pater, ut illi mecum sint, quos mibi dedisti, quos proprio meo sanguine redemi, quos mibi despontavi; Nolo autem, Pater Optime, ut unus illorum perditum eat, qui in me credit, qui fide amplectitur meritum sanguinis mei, qui me diligit.* (3) *Preciosissimus, quia filii Dei proprius Act. 20. 28. Deus enim acquisivit Ecclesiam sanguine suo proprio, ἐφ θαρτοῖς, ἀλλὰ τιμίᾳ αἷματι, incorruptibili igitur, per quem habemus remissionem peccatorum juxta divitias gratiae suæ, item, caro pretio empti estis, redemptionem habetis per Christi sanguinem.* (4) *Federalis. Supra enim diximus antiquitus foedera politica, item sacra V. Testamenti fere plerumque sanguine sancta esse; Quidni & foedus spirituale, quod Christus in N. T. nobiscum init? maxime ille requirebatur, quod confirmari potest ab effectu & scopo, qui est remissio peccatorum, quippe quæ non sit contra sanguinem Hebr. 9. 22, sicut nec Pontifici V. T. sine sanguinis aspersione licuit introire S. Sanctorum Lev. 16, sed asperso prius sanguine septies se populumque sanctificare debuit, & secundum legem omnia fere sanguine mundata sint, nec sine sanguinis effusione fieret remissio, ita quoque homines N. T. non nisi sanguine Christi remissionem peccatorum, reconciliationem atque gratiam impetrant. Hinc enim Christi, Medicatoris nostri, sanguis dicitur sanguis testamenti Hebr. 10. 29. Sanguis aspersionis Hebr. 12. 24. Sanguis purgatorius I. Joh. 1. 7.*

§. 18. (III) *Sanguinis subiectum:* Est hic sanguis Dei sanguis Act. 20. 28. Deus enim in suam hypostasin humanam naturam, cuius est iste sanguis, recepit: Et receptæ omnia divina axiomata, adeoque & sanguini, communicavit, ita ut & receptor ille sanguis vere dici possit divinus, seu Dei sanguis: Contra falsam Nestorii aliorumque hæreticorum doctrinam, qui communicationem Idiomatum duarum naturarum in Christo, & consequenter ipsam unionem personalem negant. Horrendum Nestorio dictum esse videbatur, Deum natum esse ex muliere, seu Virginem Mariam esse Θεοτόκον, item Deum esse passum,

C

esse

esse mortuum, sanguinemque suum pro redemptione nostra effudisse: Arbitratur potius, dicendum esse, Virginem Mariam esse tantum Αὐθεντούρον, aut peperisse eam non Deum, sed hominem, peperisse saltem divinitatis instrumentum, unde sequebatur, nec fuisse etiam Christum Deum verum, sed Αὐθεντόν Θεοφόρον, eo modo quo Sancti sunt Θεοφόροι propter Deum in ipsis gratiis habitantem: Ita nec Deum dicebat esse passum, nec fuisse sanguinem proprium, sed Christum hominem, in seculo natum. Adversarium habuit Nestorius Cyriillum Alexandrinum in Anathematismis suis; Alii alios. Nos Evangelici, ob indissolubilem unionis hypostaticæ nexum, firmiter statuimus, Deum verum, unigenitum Dei Patris filium ab æterno genitum, demum in tempore ex Maria Virgine natum esse, ut sit Ιεράνθεωπος, simul Deus & simul homo, eundemque habito respectu communicationis Idiomatum, Deum verum pro nobis passum, crucifixum, & mortuum esse, suoque proprio sanguine humanum genus redemisse. Sie enim cœtus Apostolorum, Patrum consensus, omniumque Orthodoxorum numerus, unanimiter sentiunt, confer Luc. 1. 43. Joh. 20. 13. Act. 1. 15. c. 20. 28. Rom. 1. 3. 2. Cor. 2. 8. Hebr. 1. 3. Tam vere sanguis iste est Dei proprius sanguis, quam vere ipsi sua humana natura est propria; & quam vere Paulus in sua carne passus, tam vere, & sine omni tropo (ut cedat Zwinglii αλλοίωσις) Deus in sua carne passus, propriumque suum sanguinem pro nobis effusit.

§. 19. Hinc manat (IV.) *Sanguinis efficacia catbolica:*
 Quæ tanta, ut non ad unum solum hominem, nec ad unum populum Israeliticum, sed ad omnes omnino homines, & ad universas gentes pertingat. Cum enim DEI potentia sit infinita, infinita igitur etiam sanguinis divini virtus erit. Sanguis hic, inquit Leo, Pontifex facile doctissimus, tam potens est ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent. **Nos omnes fuimus etiam captivi non solum sub perpetua morte,**

scd

sed & maledicto legis peccata nostra indies auximus, non erat
 qui faceret bonum usque ad unum Psalm 14. 3. Verum ex
 utraque ista captivitate propter Christi meritum, ejusque
 sanguinis vim & efficaciam, sumus redempti. Pro omnibus ho-
 minibus, quotquot unquam vixerunt, & in posterum adhuc vi-
 eturi sunt, semetipsum obtulit in sacrificium, ita ut iterum
 habemus expiationem peccati, placationem Numinis irati, &
 recuperationem boni amissi. Tanta sanguinis hujus vis est, ut
 peccatorum sordibus inquinatos abluat, & mundet i. Joh.
 2. 7. i. Petr. 1. 2. Hoc purificantur omnia, ipsa interiora con-
 scientiae cubilia. Penetrat ea, ac aspergendo perpurgat. Nam
 si sanguis taurorum & hircorum, & cintis juvenae aspersus in-
 quinatis, sanctificat ad carnis purificationem: quanto magis
 sanguis Christi, qui per spiritum æternum seipsum obtulit, im-
 maculatum DEO purgabit conscientiam nostram a mortuis o-
 peribus ad serviendum DEO viventi? Hebr. 9. 14. Sanguis hic
 sanctificat, laetificat, vivificat, recreat fessos, roborat infirmos, sanat
 ægros, animæ sedat fitem, pectora dura mollit, mitigat animos
 feroces. Hic sanguis est *Thus fætentium, reorum λύτρον, aby-
 fus iniquitatum suffocatrix, renascendorum semen, agrorum bal-
 samum, cordis duri triumphus, separatorum vinculum, fidentium
 porus, decus abominandorum, asylum afflictorum, sigillum dubi-
 tantium.* Si igitur tantæ sanguinis hujus sunt vires, si tanta
 illius est virtus, ut ad omnes & universos se extendat homines,
 qui sit igitur, ut non omnes illi, pro quibus Christus sanguine suo
 satisfecit, & quorum peccata expiavit, salventur? Dicimus hanc
 esse causam, quia infinita hominum multitudo, ex perversa cor-
 dis contumacia, meritum sanguinis Christi sibi non applicat,
 sed pedibus proculcat & aversatur. De qua Justissimus Judex
 tandem in die novissimo severam feret sententiam. Porro, cum
 DEUS sit sanctissimus, sanctissimus quoque erit Sanguis DEI;
 Sanctivit enim N. T. & adhuc hodie nos in sacra Eucharistia
 sanctificat, adeo sanctus est, ut ne ulla labes illi inhæreat, opul-
 lo unquam peccato maculato vel maculando. conf. Rom. 3.
 25. 1. Cor. 6. II. 20. Eph. I. 7. Col. I. 14. Tit. 2. 14.

§. 20. Exinde pater (V.) *Sanguinis innocentia*. Fudic
 Christus, agnus occisus, suum sanguinem, sed nullum ipse pec-
 catum admisit, cuius gratia sanguinem fundere cogeretur. I.
 Petr. I. 19. c. II. 22. seqq. Sine crimine delictoque innocentissi-
 mus ab injustissimo Judice ad supplicium capitale condemna-
 tus est. Alias peccatores, qui sunt & transgressores legum, seu
 malefici, jure meritoque plectuntur, poenas etiam debitas me-
 ritasque patienter sustinent; Christus autem nihil morte di-
 gnum ipse commisit, nullum scelus nullumque peccatum per-
 petravit, sed, summa erga nos tactus misericordia, sponte pes-
 cata nostra suscepit, & semetipsum mortis reum effecit, ita ut
 qui plane fuerat liber, seipsum obligatum reddiderit ad satisfa-
 ciendum summam DEI patris Justitiam, infons omnis poenae son-
 tem se fecerit acerbissimarum poenarum, mortis Dominus mor-
 ti succubuit, idque ob factum promissum, non vero malum com-
 missum. Optime B. Lutherus t. I. Isleb. p. 417. scribit: Des
 Herrn Christi Unschuld steht für unser Schuld, denn ob er
 wohl mit Unschuld zum Todt verdammet wird, ist er dennoch
 für Gott schuldig nach dem Gesetze/nicht für seine Person/son-
 dern für unsere Personen. Er steht für Pilato, nicht als ein
 Sohn der Jungfrauen Mariä, sondern als ein Ubelthäter,
 und dasselbe nicht für sich selbst, sondern für dich und mich:
 Et paulo post: So ist nun Christus für sich selbst unschuldig,
 aber für uns ist Er schuldig, dann Er hat sich unser anges-
 nommen, unsere Schulden zugezahlt. So saget aber das
 gemeine Sprichwort: Bürgen soll man würgen. Patet igi-
 tur, quam innocentissime Sanctissimus Christi sanguis a parte
 sui fuerit, quippe qui sine culpa vixerit & sine peccato, nec
 quicquam in se, quod vel nudam saltē speciem peccati, aut
 minimi tantum delicti formam ostenderet, habuerit, Hebr. 7.
 26. Cujus innocentiae testes esse possunt Judas ipse, prodi og
 Matth. 27. 4. Uxor Pilati v. 19. Pilatus v. 24. Centurio &
 alii, v. 54. Herodes, ut colligitur ex Luc. 23. 15. alter Iarro v.
 41. Res inanimatae, ut Sol, qui obscuratus est, petrae, qua scis-
 sit sunt, &c. Matth. 27. v. 45. si. 52.

§. 21.

§. 21. Inde est (VI.) *Effusus innocentis clamor*. Qui sine
sua culpa vim & injuriam patientur, neque vindicare sese aut
possunt, aut debent: Illi vindictam alius alicujus, sive DEI, sive,
qui loco DEI est. Magistratus implorare solent; Idque fit *im-
ploratione vel manu*, cum proprie verbis aut voce, illata ipsis
male, vel ob potentiam adverteriorum, vel ad fidei probatio-
nem, patienti perferunt animo, & cum silentio cuncta DEO,
quippe quem nullum latet facinus, & ad quem ob aliam pro-
videntia tuae curam **omnis omnium mortalium necessitas**, tan-
quam a **communem omnium conditorem & Servatorem rei-**
ipsa pertinet, permittunt. Is enim iustam suorum causam co-
gnoscit & agit 1. Reg. 8. 45. seqq. 2. Chron. 6. 35. 39. Psalm. 9. 5.
Prov. 12. 15. & c. 23. II. Esa. 40. 27. & 51. 22. Jerem. 50. 34. &c.
& licet sapissime raseant ut oviculae, tam non DEUS ille, sine cu-
jus voluntate nec unicus capitis capillus (vile alias corporis
excrementum) decidit, omnes injurias, afflictiones, persecutio-
nes & oppressiones vider, audit & requirit. Atque ita non
numquam in sacra Scriptura clamor per quandam metonymi-
am ponitur pro ipsa injuria, violentia, afflictione, persecutione
& oppressione, quam quis in aliud exercet. Esa. 5. 7. Ephes. 4. 11. Sic enim injusta bonorum alienorum usurpatio, inter-
versio mercedis operariorum, constructio domus ex rapinis, li-
bido seu Venus impura, peccata dicuntur clamantia, vid. Gen.
18. 20. c. 19. II. 13. Jerem. 20. 16. Habac. 2. II. Jac 5. 4. Duplex
enim clamoris genus est, unum iniquitatis, nequitiae & malitiae,
Gen. 18 v. 20. 21. Alterum oppressorum & afflictorum Ps. I. 16. 6.
Nam contra tyrannos & oppressores innocentum geminus cla-
mor ad DEUM adscendit, quando vel ipsa illorum iniquitas
clamat pro vindicta, & deinde quando iuri & afflictio pro sua cla-
mant liberatione: atque adeo homini mortuo ejusque sangu-
ni effuso tribuitur imploratio vindictae & loquela, qua tamen
non aliter intelligenda est, quam quod sanguine seu morte sua
vel DEUM tanquam Judicem iustissimum excitet ad vindictam,
vel magistratum, qui vices DEI in his terris gerit, sollicitet, &c.

occasione præbeat exercendi justitiam. Vel sit *imploratione* reali, vel *physica* seu *verbali*, cum quis prolatâ voce acerem ferit, verbisque conceptis vindictam DEI exposcit, eumque rogat, ut injuriam severitate gravitateque compenset, & mala sibi illata pro meritis ulciscatur: *Vel Oretenus*, coram Judice legitimo seu magistratu politico, reum accusat vindictamque provocat, vel per libellos supplices aut internuncios postulat, ut debitiss pœnas & supplicia sumat ab illis, qui malitia eum affecerunt. Priori modo clamat ad DEUM effusus Martyrum & Confessorum sanguis, quotidianæ afflictorum lachrymæ, acerbi pauperum gemitus, mors denique piorum nefaria, & illi, qui ob Adversariorum suorum potentiam, nemini nisi DEO causam suam permettere possunt. Posteriori modo clamant fideles in mundo, qui ob fidei religionisque confessionem in exilio circumvagantur, qui ab impiis & hostibus suis affliguntur, atque ab invidis & malitiosis injurias patiuntur. Priori modo clamat sangvis Abelicus a Caino, Nobæus a Saule, Nabothicus a Jezabele, Hebreus ab Antiocho; Martyrillorum Bethlehemicorum ab Herode, aliorumque infinitorum a Tyrannis Cæsaribus ac Sangvis forba meretrice Babylonia dedicatus. Posteriori modo clamat adhuc Ecclesia militans in terris adversus tyrannidem Anti Christi, potentiorum crudelitatem & persecutorum malitiam. Clamare autem ad DEUM est opem & auxilium ejus postulare. Exod. 21. 23. Job. 39. 3. Psalm. 18. 42. Psalm. 47. 9.

§. 22. Sangvis autem Christi utroque modo clamavit (1) vindictam imploravit adversus hostes suos acerrimos, peccatum nimirū, mortem, infernum, & Diabolum, qui Judeos & Ethnicos impulerunt, ut innocentissimum Christum summa vi & crudelitate, tanquam latronem pessimum, nocturno tempore eum invadentes, caperent, maxima afficerent ignominia, flagris cæsum crucifigerent, ejusque sanguinem funderent: Quamobrem Christus vindictam divinam imploravit adversus istos suos & nostros hostes spirituales, quam DEUS faciat, æternum istos delendo, vel damnando. (2) Precatus est DEUM, ut per & propter istum

Istum suum sanguinem nos ab istis hostibus liberare, & in gratiam recipere velit, ut nostri in seruat, & in Adamo amissam spem gloriae cœlestis ob vulnera sanguine suo proprio mandentia, curios largiri velit. Quid factum? Misericordia Sanctissimus Sangvis patris iram, delecto peccato, devicti sunt hostes, gloriose illos in triumpho duxit, ita ut iam non amplius illorum vis, fraus, atque furor nobis nocere possit: Per hujus sanguinis clamorem clamor accusatoris Diaboli sedatus est, ex filio Iis iræ facti sumus filii gratiae, spes pristina recuperata, tota Sacrosancta Trinitas, per lapsum prius offensa, sanguine hoc rursum placata, reconciliata, & nobis consociata est, ita ut in miseriis & calamitatibus nostris iterum habeamus, ad quem confugere, cujus opem & auxilium implorare possimus, qui que nos ab omni malo & hostibus nostris, tam spiritualibus, quam corporalibus, liberare queat.

§. 23. Cum hoc ita fuso, & ita clamante, & vindictam exposcente sanguine Christi confertur sanguis & clamor sanguinis Habelici, diciturque fortius iste, quam hic sanguis clamare. Erat quidem Sangvis Christi ei naturalis, innatus, & proprius, quem ex B. Maria Virgine in conceptione Spiritus Sancti opera accepit, & in hypostasi suam assumptus, organon vita necessarium, per quod CHRISTUS suas vires naturales, velut ali homines, exeruit, quem deinde pro salute generis humani in horro Olivetti, in praetorio Pilati, & ignominioso ligno crucis largissime profudit; Sed insuper Sangvis purissimus, quia nulla peccatorum labe infectus; Sanctissimus, quia divinus: *Pretiosissimus*, quia Filius DEI proprius: *Sangvis fæderis*, seu Novi Testamenti Muth. 26. 28. Marc. 14. 24. Hebr. 10. 29. quia Fœdus DEI cum Ecclesia illius sanguine obligatum & confirmatum est Luc. 22. 20. I. Cor. 11. 25. *Sangvis purgatorius*, quo purgamur a peccatis I. Joh. 1. 9. Et *meritorius*, per quem habemus remissionem, redemptionem, & reconciliationem. *Sangvis Mediatorius*, quo mediante salvamur. *Innocens*, innocentia a Iuda proditus. *Accusatorius* adversus regnum Diaboli, vim mortis, peccati poterit.

tentiam, atque tenebras inferni. *Clamosus*, invocans misericordiam pro hominibus, adeoque *Melior loquens*, quam sanguis Habelis, Prophetarum, Martyrum, Apostolorum & Confessorum omnium, qui vindictam solum exposcebat. *Efficacissimus*, quia mundat ab omni peccato, delendo etiam maculas spiritus, & omnes omnino homines, sine ulla limitatione, idque propria vi & merito. *Satisfactorius*, qui etiam pro actu damnatis & in infidelitate perseverantibus satisfecit. Habelicus autem sanguis huic quidem longissime cedit, sed tamen est aliqua utriusque sanguinis comparatio. Habel enim fuit homo, protoplastorum filius, Ergo necesse est, illum etiam omnibus ad substantiam hominis requisitis & partibus, praesertim sanguine, naturaliter fuisse praeditum, quem deinde, ab irato fratre crudeliter occisus, largiter effudit. Fuit sanguis illius (1) *Sanctus*, ob sanctitatem Meliorum imputatam, & ex hac manentem vitae Sanctimoniam, pietatem, fidei constantiam, reverentiam erga Deum, cui quotannis pingves gregis sui haedos vel agnos, opimas decimas, offerebat. (2) *Justus*, attestante Christo Matth. 23. 35. *Innocens*, innocentia causæ, quia sine culpa fusus (4) *Primi Martyrus*, qui ob iustitiam & fidei perseverantiam morte violenta occubuit. (5) *Propheticus*, Matth. 23. 30. 31. (6) *Sacerdos talis*, quia Sacerdotis erat, sacrificia offerentis. (7) *Typicus*, quia representabat largissimam effusionem sanguinis Christi, a fratribus Iudeis secundum carnem occidendi. (8) *Clamans* vindictam adversus fratrem Gen. 4. 10. (9) Adhuc loquens per fidem Hebr. II. 4. Mors enim illius non potuit omnem de ipso extingvere memoriam, uti ex citato loco probamus. Vivit Habel & adhuc loquitur, docendo nos, quomodo in patientia, iustitia, fideique perseverantia DEO placere queamus. Longe melius tamen ubivis loquitur Sanguis Christi, quia flagitat misericordiam erga suos etiam effusores, imo & querit excusationem peccatorum suorum. Luc. 23. 34. Melius namque & benignius est parcere, quam vindicare; melius est, duci misericordia atque miserabilem aliquis statum benignis aspicere oculis, quam severam expostulare

Iare nemesis, & funditus aliquem perdere. Ratio autem hujus collationis hoc in loco inter utriusque sanguinem, quæ sit queritur. Quidam arbitrantur, hoc ideo factum esse, ad demonstrandam majorem novi fœderis præ Veteri præstantiam, qua methodo etiam in antecedentibus Apostolus fuerat usus. Alii censem, Apostolum hic primum orbis denati, & primum orbis renati Sacerdotem & Martyrem annotare voluisse. Sunt, qui putant, cum hoc loco fata Ecclesiæ utriusque Fœderis indicasse, quo pacto etiam in capite antecedente undecimo, vers. 36. seqq. longam seriem suppliciorum enarrat, simulque probat, quod dicitur:

Sangvine fundata est Ecclesia, sanguine coepit,

Sangvine succrevit, Sangvine finis erit.

Nos cuilibet hac de re liberum relinquimus judicium.

§. 24. Præfertur igitur efficacia Sangvinis Christi efficaciae Sangvinis Abeliani; & efficacia clamantis istius Sangvinis, efficaciae clamantis hujus. *Ratio prælationis ex antecedentibus colligi* haud difficulter poterit. Diximus enim, sanguinem Christi fuisse DEI sanguinem, sanguinem divina efficacia præditum, qua prædictum fuisse Habelis sanguinem, nemo dixerit, nisi qui putaverit Habelem fuisse hominem, DEO hypostaticè unitum: Diximus, quæ sit differentia inter utriusque sanguinem, tam ratione Excellentiae sive præstantiae, quam proprietatis, quædam etiam de Mediatorę utriusque Fœderis adjecimus. Et, si porro alia quædam annotavimus, Benevolus Lector facile hinc inde deprehendet, brevitatis gratia omnia repeteremus supersedemus.

§. 25. Sequitur hinc (1) animæ post mortem hominis immortalitas, DEIque cura erga homines: Quam animæ immortalitatem probamus (primo) ex clamore Sangvinis. Si enim vox Sangvinis Abelici clamat, Ergo Abel adhuc vivit, si vivit, utique secundum animam vivit, quæ ita condita est a DEO, ut semper vivat, etiam a corpore separata, & immortali existat. Hoc pacto nobiliores Poëtæ permoti sunt, ut animam homi-

D nis

mis particulam suræ divinæ dicent, & nonnulli ex Hebreis volumen **נֶשֶׁמֶת** animæ, Gen. 2.7.a **שְׁמִינִי**, quod cœlum significat, ideo derivatam esse volunt, quod anima hominis divinum quiddam sit, cœlitus profectum, atque adeo immortalis. Pertinet huc testimonii loco illud, quod extat Apoc. 6. 9. ubi Theologus vidisse scribit, animas mactatorum propter sermonem DEI, & propter testimonium, quod habeant, clamantes voce magna & dicentes: *Quoniamque o, qui es Dominus Sanctus & verus, non vindicat sanguinem nostrum &c.* At animas illas vivere, nemo dubitabit (Secundo) ex requisitione sanguinis. DEUS enim ipse Gen. 9. 5. expresse dicit, se sanguinem animalium requisitum esse de manu omnis animantis. Quorum autem Deus sanguinem requirit, pro quibus post mortem corporalem adhuc curam agit, & quorum ipse Deus Deus est, illi, dum moriuntur, non omnino moriuntur, sed vivunt Dco, & transiunt a morte ad vitam, quis Deus non mortuorum, sed viventium Deus est Marc. 12. 26. Luc. 20. 38. nec anima, licet corpus occidatur, occidi possit Matth. 10. 28. quod autem non enecari potest, sive quodcunque vivens non enecabile, illud immortale est, & perpetuo vivit. Deinde etiam cura DEI pro suis ex hac ipsa historia aperte demonstratur. *Nam si nullus esset, inquit B. Luth. ad hunc loc., qui curam nostri haberet post hanc vitam, Habet occisus non esset requisitus. sed DEUS requirit Habet sublatum ex hac vita, non vult ejus oblivisci, retinet memoriam ejus, querit, ubi sit? ergo concludit, DEUS non est mortuorum DEUS, hoc est, Ergo mortui vivunt, & habent DEUM curantem & salvantem eos in alia vita, quam bac corporalis est, in qua sancti affliguntur. & paulo post: Quid igitur dubitabimus? quin DEUS in corde suo ponderet & numeret afflictiones suorum? quin lacrymas nostras mensures, easq; prescribat in Adamantinas tabulas, quas nulla ratione delere poterunt hostes Ecclesie &c.* hactenus Luth.

§. 26. Ex iam dictis (II.) constat, falsam illorum esse sententiam, qui hanc animæ immortalitatem negarunt, vel adhuc negant, ut sunt Sadducæi, Epicuræi, Phoniiani & alii, qui assentunt,

runt, animam hominis post mortem cum corpore in nihilum redigi, & perire, atque adeo nullam aliam sperant vitam, sed sibi ipsis stolidi persuadent, mortem ultimam lineam rerum esse; quam sententiam ex hoc ipso loco & supra aliatis scripturaræ testimoniis refutamus. Rejicimus quoque illorum sententiam, qui animas a corporibus separatas dormire, & cum corporibus excitatum iri somniant: Nam si animæ post mortem dormirent. Habel non clamasset, nec opus fuisset cura DEI. Refutantur etiam exinde hodierni Weigeliani cum Pontificiis, quando pios V. T. ante Christum mortuos in limbo, nescio quo, detentos fuisse nugantur. Sic enim Dux gregis ipse caper M. Valent. Weigelius, pastor quondam Tschopensis in postillari explic. part. 1. p. 20. Abraham, David, und andere haben Christum nur im Geist gesehen, und dieweil sie vor seiner leiblichen Geburth gestorben, haben sie müssen der Erlösung durch Christum in jener Welt warten. & part. 3. p. 73. Vor Johanne dem Täuffer hat nie kein Mensch aus der Ehe gebohren, in dem Himmel können kommen, bis auf die Zeit der Erlösung, da durch den Todt Christi der Vorhang in dem Heyligen zerreiß, und das Paradeiß eröffnet worden. At si Habel (& alii V. T. Patres) post mortem in tali aliquæ fictitio delituissent limbo, ubi sine tædio atque molestia tempus suum transgissent, quare Scriptura diceret, eum clamasse, vindictamque petuisse? & quid opus fuisset, ut DEUS sangvinem illius requireret? Patet itaque exinde opinionem hanc de limbo patrum in Sacra Scriptura nullum habere fundamentum. Videatur D. Gerh. tract. de morte, §. 172. & seq. Quod Judæi ex hoc loco de luctu animæ septendio vel annuo somniant, & num animæ a corporibus separatae notitiam habeant eorum, quæ in terra geruntur, brevitatis gratia hic omittimus..

§. 27. (III.) Exinde etiam severa lege ad mutuam erga proximum admonemur charitatem, mansuetudinem, & humilitatem, ne velut Caini, fratres, amicos & proximos nostros odio prosequamur, injuriis afficiamus, multo minus lædamus,

D 2

vel

uel eos occidamus. Sed, instar Abelis, proximos licet nobis iratos diligamus, nunquam enim Habelem, quamvis saepius injuriis laceratum, fratri oblatasse legimus, sed eum semper fuisse patientem, mitem & humilem; ita & nos intentata nobis mala patienti feramus animo, benedicamus maledicentibus nobis, benefaciamus illis, qui nos odio habent, oremus pro illis, qui nos affligunt & persequuntur. Hoc enim ipsius Christi monitum est Matth. 5. 44. Luc. 6. 27. qui & ipse suo proprio exemplo satis abunde ostendit, quomodo vitam nostram in hoc superbo seculo recte debeamus instituere. Hunc quantum possimus imitemur, ejus precepta sequamur, discamus ab ipso humilitatem, mansuetudinem & charitatem Matth. n. 29. & in calamitatibus constituti patientiam, ita ut quicquid etiam patimur, illud innocentes patiamur. Imitemur Habelem in vita, in fide & in fine sive morte: Sic nec DEUS sua gratia nobis deerit, sed pari modo pro nobis curam geret, non in hac tantum, sed & post mortem in altera demum vita feliciore & longe meliore.

S. 28. Caveamus autem (IV.) nobis a superbis, ira, hypocrisi, atque cæde, quibus vitiis Cain fuerat deditus. Cum enim elato animo fratrem contemptim haberet, eundemque tanquam minorem & longe vilarem speneret, & dominium quod jure primogenituræ in ipsum habebat, severius exercebat: Videret autem sacrificium suum neglectum, fratris vero acceptum esse, fratrem diligi, se respici, fratrem declarari iustum, se reprehendi; pertinax exorta est ira, quæ ad exitium usque saeviit, & dura, quæ precibus nullis flecti potuit. Haud enim quiescere potuit Cain, donec conceptum scelus opere ipso completeret, nullæ preces, implorationes aut deprecationes durissimum illius mitigare potuerunt animum, sed sine misericordiæ sensu fratrem jugulavit. Et ne videretur talis, qualis tamen revera esset, impius patricida, pessimam Hypocriseos superinduxit larvam, quam Deus ipsi postmodum detraxit, maledicendo ei. Hæc, inquam, vicia nos fugiamus, eradicemus

ante

ante omnia superbiam ex cordibus nostris, tanquam scaturiginem præcipuorum malorum & originem variis lapsus, (Superbia enim ante lapsum vulgo dicitur.) Ponamus itam, pestem animæ nostræ, relinquamus tetram hypocriteos larvam, ne aliqua ore proferamus, alia in pectore cogitemus. Abstineamus a cædibus, manus puras habeamus a sanguine justorum hominum. Omnes enim, quotquot propter bonum patiuntur afflictiones, Habeles sunt vid. Corn. a Lap. Com. ad Gen. IV. 10. Quorum sanguinem, si profuderimus, DEUS requireret, quos si affixerimus & injuriis afficerimus, Dominus, qui curam pro illis gerit, vindicabit, nisi veram agamus pœnitentiam, igitur ne cum Caino pereamus, si tale quippiam ex imbecillitate carnis nostræ deliquerimus, debitam agamus pœnitentiam, nec cum Caino desperemus, aut dicamus, majorem esse iniquitatem nostram, quam ut remittatur, sed vera fide credamus, longe majorem Dei misericordiam esse, quam delicta nostra. Men-siris Cain, inquit Lyranus ex Augustino, Major est DEI misericordia, quam omnium hominum miseria.

§. 29. Denique (V.) insignis ista piorum consolatio h. I., nobis proponitur, quando sanguini tribuitur vox & clamor. Hinc enim certo concludimus, quod, quicquid in toto terrarum orbe improbe ab injustis ac reprobis adversus justos & innocentes præsumitur, omnis ista malitia & injustitia ad Deum iudicem & ultorem omnium pro vindicta clamet. Præsertim, quando pii & fideles hujus mundi, qui in curam providentias DEI sunt adscripti, injuste affliguntur. Sicur enim sanguis Hæbelis ad Dominum clamabat, sic vociferantur ad Deum omnia, quæ pii hoc in seculo patiuntur. Persecutio fidelium, cui operam suam Paulus ante conversionem impendebat Act. c. 8. 3. & c. 9. 1. 2. clamabar hac ratione ad Christum in cœlos, quia ad illum pertinet, quicquid fidelibus ipsius accidit in hoc mundo sive beneficiis afficiantur, sive injuriis lædantur & occiduntur. Ideo & Saulo cœlitus acclamabat dicens: Saule, Saule, quid me persequeris. Sumus enim Domini, sive vivamus, sive moria-

moriamur, illique vivimus, illi occidimur & morimur. B. Luth.
 Enarr. in Gen. f. 83, sic scribit: *Est igitur textus plenus conso-
 latione contra homicidas & hostes Ecclesie. Docet enim nos, quod
 afflictiones, sanguines & mortes nostra, repleant cœlum & terram
 clamoribus.* & paulo inferius: *Scribuntur autem hæc, ut videa-
 mus, DEUM nostrum esse misericordem, & diligere Sanctos suos,
 eosque curare & requirere, contra autem homicidis inasci, eos
 odisse & punire velle.* Pertinet huc ipsius Christi testimonium
 Matt. 5. 10. seq. ubi beatos illos prædicat, qui ad improbis mul-
 ta patiuntur mala, qui ab hostibus ob justitiam persequuntur,
 contumeliis lacerantur, diffamantur, falso accusantur atque af-
 fliguntur, aut qui cum Sanctis illis Hebr. 11. 36. Ludibria &
 verbera patiuntur, insuper & vincula & carceres, qui lapidan-
 tur, dissecantur, igneque comburuntur. Illis enim omnibus
 promittit benignissimus noster Salvator nobile præmium & cer-
 tam retributionem in cœlesti tandem brabeutero. Lætemur
 itaque in afflictionibus & persecutionibus, gaudemus in vin-
 culis & carceribus, feriant sœviantque Tyraani, minentur re-
 gos rotasque, acuant gladios serrasque, depromant omnem
 tormentorum suppellestilem, nos non curabimus, sed Dominus
 curabit, nos non vindicabimus, sed Dominus vindicabit,
 Dominus requiret, Dominus pro afflictionibus largam dabit re-
 tributionem, pro hac vita mortali dabit meliorem & immor-
 talem, pro lachrymis, rore cœlestis gratiae irrigabit, pro vin-
 culis, dabit Sanctorum amplexus, pro tristitia lætitiam, pro
 flagris refrigerium, pro exilio cœlesti domicilium, pro misé-
 riis æternas ferias, pro calamitatibus nunquam desitramus
 beatitudinem, ad quam omnes & singuli
 devote aspiramus.

F I N I S.

* 30 *

